

DE GRAECORUM FABULIS SATYRICIS

SCRIPSIT

GUILELMUS SÜSS

DORPATI 1924

◊ C. Mattiesen, Dorpat.

I

F. G. Welcker, quo, Casaubonum si excipimus, nemo fere melius de satyris est meritus, cum viam quandam aperire vellet ad naturam huius generis scenici cognoscendam, alieni illius a iudicio huius aetatis, totam varietatem argumentorum illis ludis scenicis tractatorum quinque generibus comprehendere conatus est (Nachtrag zu der Schrift über die aeschyleische Trilogie p. 296 ff.). Harum classium ea, quae secundo loco affertur, — nam ceteras hic non curo parum accuratis finibus circumscriptas illas — versatur circa monstra immania atque noxia seu vi seu dolo removenda. Huius generis est fabula Aeschylea de Cercyone illo, quem iam Pratinas *Παλαισταῖς σατύροις* (hypothesis in Septem) in scenam videtur traxisse, est Amykos Sophoclis, sunt multa Euripidea. Hic enim tragicus cum Cyclopem, Sylea, Scironem, Busirin, fortasse Lityersem¹⁾ choro Satyrorum iunxerit, videtur talia argumenta in deliciis habuisse. Apparet hos ludos eo spectare, ut, cum faciant Thesea, Herculem, Ulixem, Sisyphum superantes feram ruditatem illorum monstrorum, idem doceant cedere barbariem virtuti atque consilio, horridam saevitiam cultui atque humanitati. Satyri ipsi initio ludi iniquissimo servitio pressi, quod in omni protervitate ludicrae impudentiae excutere suo ipsorum Marte non possunt, ipsis illis rebus gestis ad usum libertatis promoventur deoque redduntur²⁾.

1) Pendet haec opinio quam protulerunt C. F. Hermann (Arch. Ztg. II (1848) 237) et Hartung (Euripides restitutus I 374) ex nulla re praeter titulum *Θερυστών*, e qua fabula iam aetate Alexandrina oblivionis tenebris involuta (*ὄν σώζεται*: hypothesis in Medeam) nulla exstant fragmenta.

2) Simile quid argumento *Ἰχνευτών* fabulae inhaeret, sed cuius viri servitio primum teneantur, sub finem fabulae solvantur Satyri, verbis adeo non perspicuis indicatur (57, 69, 158, [217 ?]), ut cum aliis argumentis tum huius rei obscuritate confirmet Bethe suam opinionem (Die Ichneutai des Sophocles. Sächs. Ges. d. W. phil. hist. Kl. 71 (1919) 1), quasi non integrum sit servitium initium Indagatorum. Cf. et Robert, Hermes XLVII 550 ff.

Atque hic quidem mihi videor ratione Welckeri exemplo probata alteram quandam formam sollemnem horum ludorum satyricorum depingere posse, quae tali fere argumento continetur: Satyri in iocorum atque ineptiarum provincia versuti, in ceteris rerum usui plane inhabiles congregiuntur cum re recens ad humanitatem exornandam seu inventa seu divino dono mortalibus tradita. Huius generis affero exempla tria eaque, nisi fallor, gravissima. Primum quidem illam de Prometheo fabulam, quae una cum Persis a. 472 a. Chr. n. est in scenam producta. Vide quaeso ea quae v. Wilamowitz (p. 180 editionis Aeschyleae) de illa disputavit. Satyri frustra monentur ne igni appropinquent (dico illud fragmentum 207 saepissime tractatum: τοῦ δὲ σατύρου τὸ πῦρ, ὡς πρῶτον ὄφθῃ, βουλομένου φιλήσαι καὶ περιβαλεῖν, ὁ Προμηθεύς

„τράγος“, ἔφη, „γένειον ἄρα πενθήσεις σύ γε“),

ut caveant ebullientes guttas aquae (206), tandem vulnera, quibus curiositatis poenas solvunt, sananda sunt (205).

Secundo loco me Ichneutas afferre non mirum. Satyri boum raptarum vestigia prementes subito insolito sono lyrae modo a Mercurio inventae perterrentur

πόρφ τὸν οὐδεὶς πόποτ' ἤκουσεν βροτῶν.

Quomodo Sophocles in singulis stuporem Satyrorum descriperit, artem inventam celebraverit, rapinam boum cum lyra ex testudine haud sine auxiliaribus copiis boum aedificanda coniunxerit, hic copiosius non est tractandum.

Transeo ad tertiam quandam rem, cuius inventioni Satyri finguntur adfuisse neque igni neque arte musica leviolem, in sacris Dionysi scenici gravissimam, vinum dico. Exemplum est eiusdem Sophoclis miroque vinculo affinitatis, nisi fallor, cum Indagatorum argumento coniunctum, οἶνον πρῶτον γευσάμενων τῶν κατὰ τὸν χορὸν σατύρων. Rei enim novitate tacti cecinere (174):

πόθεν ποτ' ἄλυπον ὦδε

ἦθρον ἄνθος ἀνίας;

ὄλον δὲ τὸ μελύδριον πολιτικὸν ἄγαν γέγονε· μετὰ γὰρ τῆς ἄλλης ἐνεργείας λελυμένην ἔχει τὴν ἐρμηναίαν καὶ μεθύουσιν ἀρμόττουσαν. Verba ipsa vix est quomodo recte se habeant, pro ἄνθος ἀνίας, quae verba vix apte coniungi possunt, Nauck maluit ἄκος ἀνίας. Fortasse et hoc et illud huic loco inerat, sed quibus numeris aut quo genere dicendi usi sint Satyri primi mortalium ebrietate

vulnerati sicuti apud Aeschylum igni, ne divinari quidem potest. Hoc moneo in *Ἰχνευτῶν* fabula Cyllenam de lyra a Mercurio parvulo inventa similia proferre (317)

καὶ τοῦτο λύπησ ἔστ' ἄκεστον καὶ παραψυκτῆριον
κείνω μόνον e. q. s.

Ex eadem fabula affertur alterum fragmentum vinum redolens (175) *θωρηχθεῖς· θωρηχθεῖς, μεθυσοθεῖς*. Sed qua in fabula versemur, nondum diximus. Si quidem duobus testibus fidem habemus (Anecd. Bekk. p. 385, 23 et Hesych. 2 p. 335) *ἐν τῷ Διονυσιακῷ σατυρικῷ* vel *Διονυσιακῷ*. Atque hic quidem miror post Ichneutas inventos Crusianum quoddam felicissime inventum non animis interpretum esse obversatum. Cum enim Hugo Rabe (Rhein. Mus. 47 (1892) 411) ex grammatici cuiusdam lexico Messanensi de iota ascripto composito in lucem protraxisset haec verba lepiddissima ex fabula, quae aliunde nondum videbatur esse nota: *Σοφοκλῆς Διονυσίακω*

ὅταν γάρ αὐτῷ προσφέρω βρωσῶν διδοῦς
τῆν θίνα μ' εὐθύς ψηλαφᾷ κἄνω φέρει
τῆν χεῖρα πρὸς φαλακρὸν ἠδὲ διαγελῶν,

quibus Silenus Bacchum parvulum in manibus gestans describitur, Crusius (Rh. M. 48 (1893) 152) cognovit nunc verum indicem illius fabulae satis obscuro adhuc significatae titulo patefactum esse. Σ in A facillime commutari potuisse apparet, *Διονυσιακός* enim, vox in ceteris consueta atque trita, locum occupavit *Διονυσίακου*, vocis alibi, si recte video, nullo certo testimonio³⁾ confirmatae. Illa tria igitur fragmenta cum unius eiusdemque fabulae sint, Bacchus parvulus vinum in humanitatem mortalium introduxit eodem modo quo Mercurius parvulus artem musicam. Videmus autem Sophoclem in duabus fabulis satyricis satis similibus argumentis uti. Quae est apud Indagatores Cyllene, is est in Dionysisco Silenus, Bacchi *τιθηνός* (cf. Nicandri Alexiph. 31). Praeter Bacchum ipsum et Oineus vini tanquam

3) Dignum est quod attendatur Bacchulos, siquidem copiis doctrinae in Thesauro l. gr. oblati confidimus, unico loco commemorari, qui est de arte medicina (Gal. def. med. II p. 273): *Διονυσίακοι εἰσὶν ὁστώδεις ὑπεροχαὶ ἐγγὺς κροτάφων γιγνώμεναι*. Sed habet locus non nihil dubitationis, cum altero loco doceamur *Διονυσιακούς* appellari *τοὺς οὕτω πεπονθότας ἀνθρώπους* (Heliodori apud Oribas. p. 125 ed. Cocch. verba). Fuerunt igitur, qui et illo loco restituerent *Διονυσιακοὶ εἰσὶν, οἷς... γίγνονται*. Quod rectene fecerint necne hic non quaero. Hoc vides eandem litterarum seu vocum confusionem et hic *agi*.

ἤρως ἐπώνυμος plurimo in hoc genere dramatico usui erat. Veluti in Euripidis Cyclope si quidem Silenus Satyros *οἰκωνων* huic generi consuetam saltantes hunc in modum alloquitur:

ἤδη δὲ παῖδας προσνέμοντας εἰσορῶ
ποιμνας. τί ταῦτα; μῶν κρότος σκιυιδῶν
ὁμοιος ὑμῶν νῦν τε χῶτε Βακχίῳ
κῶμοις συνασπίζοντες Ἀλθαίαις δόμονος
προσῆτ' αἰοδαῖς βαρβίτων σαυλούμενοι;

praeter Welckerum (l. l. 298) multi qui aut ante eum aut post eum fuerunt cognoverunt tangi his verbis disertis argumentum fabulae cuiusdam satyricae, quae versabatur (cf. Hyg. f. 129) circa Bacchum hospitio ab Oeneo receptum ita, ut Liber cum Althaea, Oenei dimidiati illius Bacchi uxore, concumberet, coniugi autem vitem daret monstraretque quomodo sereret. Apud Phliasios, ubi incunabula huius artis satyricae fuisse credebantur, Pausanias invenit non solum *μνήμα Ἀριστίου τοῦ Πρατίνου*, sed et *οἶκημα εἰς μνήμη* convivii inter Oenea et Herculem acti letiferi illius Cyatho, Oenei oenochoo; (Paus. II, 13, 6 sqq.). Hercules autem, Oenei vitis culturae inventoris gener matrimonio cum Deianira inito, fabulis satyricis sollemni more consuetus. Ad hunc eundem Oenea deducimur et reliquiis satis lepidis fabulae satyricae nuper in lucem productae (Ox. Pap. VIII 60 sqq., ed. Oxon. fragm. trag. papyr. VII). Hic totus satyrorum chorus proci tanquam persona assumpta iterum Oenei aedes adit, ut uxorem sibi expetat.

6

*νυμφίοι μὲν ἦκομεν,**παῖδες δὲ νυμφῶν, Βακχίου δ' ὄπηρέται κτλ.*

Quibus naturae et artis dotibus sint praediti, exponunt ita, ut rem his verbis concludant

ὦν σοι λαβεῖν ἔξεστι τοῦθ' ὁποῖον ἂν
χρήζης, ἐὰν τὴν παῖδα προστίθης ἐμοί.

Videmus certamen quoddam initum esse cum aliis prociis. Rex unum certe commemorat:

ἀλλ' οὐχὶ μεμπτόν τὸ γένος· ἀλλὰ βούλομαι
καὶ τόνδ' ἀθροῆσαι πρότον ὅστις ἔρχεται.

Cetera minus aperta nisi quod Phoenix, qui Perimeden Oenei filiam in matrimonium est ducturus aut iam duxit (Paus. VII, 4, 1) nomine significatur. Omnibus his rebus apparet P. Maa-sium (Berl. phil. Wochenschrift 1911 XXXI, 1217) seu acutius

seu doctius quam verius iudicasse, cum proponeret *Οἰνεύς* in *ΣΧ/οἰνεύς* esse supplendum omniaque ad Atalantes res esse referenda.

II

Alexandrinae aetatis poetas miro quodam novandae artis studio inflammatos saepius eo productos esse, ut varias formas in unum commiscerent atque conflarent, aliis rebus demonstravit Deubner (Ilbergs Neue Jahrbücher 47 (1921) p. 361 ff.), satyricarum fabularum exemplo potissimum confirmari posse confido. Pleiadis quae vocatur poetas singulari quodam studio huius generis exarsisse minime mirum. Illud enim habere videbatur reconditae vetustatis nescio quem saporem, illi inesse videbantur occulta atque remota incunabula tragicae artis, illud in primis debebat adire quicumque a trita via plurimo usu taediosa abhorrebat. Haec studia consilio atque iudicio prosequerentur epigrammata Dioscoridis cum alibi tum eo loco quo Sosithei artem laudibus effert (Anth. Pal. VII 707)

*ἐπισσοφόρησε γὰρ ὠνήρ
ἄξια Φλιασίων ναι μὰ χοροῦς Σατύρων
κῆμὲ τὸν ἐν καινοῖς τετραμμένον ἤθεσιν ἤδη
ἤγαγεν εἰς μνήμην, πατρίδ' ἀναρχαίσας.*

Machonis autem artem, qui fuit eiusdem aetatis, cuius et Pleias, eisdem fere laudibus exornat, quod memoriam priscae comoediae atticae novaverit (A. P. VII, 708) malueritque inauditas vias reconditae antiquitatis ingredi quam cramben recoquere

*οὐ γὰρ ἔχεις κηφῆνα παλίμπλοτον, ἀλλ' ἄρα τέχνης
ἄξιον ἀρχαίης λείψανον ἠμφίεσας.*

Omne igitur tanquam punctum erat laturus, qui haec duo genera artis scenicae natura et indole quam diversissima, sed remotae ea doctrinae plena atque ab ipso rerum usu illius aetatis aliena in unius imaginis ordinem atque formam coniungere conabatur⁴⁾. Huius tragelaphi scenici exempla praesto sunt haec:

4) Poetas, fabulas, titulos ipsos aut lapidum aut litterarum memoria conservatos afferri vides his locis: G. A. Gerhard, Philologi vol. XXIX (1918) 250, Aly, Pauly-Kroll-Witte RE II A 242 f. Chori usum in hac certe provincia artis natura atque necessitate conservari demonstrat Körte Ilbergs Neue Jahrb. V (1900) 89. Minus bene perspicitur, quando aut quomodo tetralogiae forma vetusto usu sollemnis sit in scenae ipsius consuetudine aut in eis fabulis, quae legentium deliciis potius, quam spectantium oculis oblatae sunt, seu conservata seu mutata seu ommissa.

Primum quidem Ἀγὴν σατυρικός (Nauck p. 810) seu Pythonis seu Alexandri ipsius regis, qua fabula turpes Harpali amores cum Pythionica et Glycerio nutriti haud sine plurima rerum publice ab illo gestarum notatione in scenam sunt tracti, deinde Lycophronis Menedemus. Sed thymum ex Hymetto deductum, ut cum Dioscoride loquamur, hanc certe fabulam vix nimia amaritudine perfudisse videtur, si quidem fidem habemus quattuor fragmentis, quibus partes Sileni et Satyrorum bene illustrantur, et Diogeni Laertio, qui poetam et philosophum Eretriensem nescio quo amicitiae vinculo coniunctos philosophique ἐγκώμιον quasi drama fuisse tradit (II 133, 140). Socratis Aristophanei tanquam exemplum secutus et hic philosophus scenicus λόγον quendam apud se fovet et alit fr. 3:

τράγημα δὲ
ὁ σωφρονιστῆς τοῖς φιληκόοις λόγος.

Tertio denique loco commemoro Cleanthem philosophum stoicum in scena a Sositheo satyrographo irrisum (fr. 4). Non satis apparet, totumne argumentum fabulae sit versatum circa illum philosophum perstringendum an leviter seu obiter tantum tacta sit illius *μωρία βοηλατοῦσα*⁵⁾. Caveamus autem, ne nimium tribuamus his Satyris iambicis seu scoticis, quasi lex aut norma huius generis illa aetate hac morum censura constiterit. Apud Horatium certe hellenistici iudicii in arte poetica interpretem nil eiusmodi invenias neque Gerhard recte iudicasse videtur, cum, ut alia graviora omittam, quae attulit vir doctus in hac quaestione recensenda, et ad illos Satyros maledicos carpendisque hominum vitiiis deditos Alexandrinorum confugeret, ut demonstraret, quomodo satura Romana, primum quidem nullo aut verbi aut argumenti viuculo coniuncta cum Satyris, tandem fortuita similitudine vocis Satyrorum depravata esset in satiram. Petronius certe, cum Satiricon titulo uteretur, primus consilio et ratione hanc confusionem ioci gratia commisit, a iambis Satyrorum non minus alienus quam a satura Luciliano caractere conscripta. Enarrat res *σατυρικῶς* gestas ita ut (hoc ipsum enim tacite et leviter

5) Quomodo philosophus in theatro ipse praesens fortiter ludibria poetae sustinuerit, describit Diogenes Laertius (VII 173) ita, ut Aelianae cuiusdam fabellae (V. H. II 13) immemores esse non possimus, quam posterius iusto saepius, cum historiam Nubium pertractarent, recoxerunt.

indicare videtur operis titulus) saturae Menippeae arte et forma utatur.

Atque cum ad Sosithei mentionem disputatio pervenerit, via tanquam eis, quae adhuc exposuimus, patefacta esse videtur ad duas illius poetae fabulas diligentius recensendas.

Quarum prior est de Croto (fr. 5), quae quin satyrica fuerit nemo erit, qui dubitet, si quidem meminerit sagittarium — haec enim persona agitur — a Satyris aut Silenis ipsum adeo non distare, ut in vasorum imaginibus pro Satyro sit depictus. *Ἀνήρ ὄν σκέλη ἔχει ἵππου καὶ κέρον καθάπερ οἱ Σάτυροι*. Matre utitur nutrice Musarum, quae seu Eupheme seu Euschemo appellatur. Sositheum autem audimus versatum esse in illius cum Misis commercio, *ὄν καὶ αἱ μουσαι τὴν τοξείαν εὐράμενον τὴν τροφήν ἀπὸ τῶν ἀγρίων ἔχειν ἐποίησαν, καθάπερ φησι Σωσίθεος*. Musarum satellites canoris modulis delectatus inventor plausus exstitit, cum signo dato aliis indicaret, ubi commode et merito plaudendum esset. „Sositheos scheint nach den Katasterismen in seinem Satyrspiel K. zuerst diesen Mythos von K. mit dem Sternbild in Beziehung gesetzt zu haben“. Gundel PW s. v. XI, 2, 2028, ubi copias testimoniorum videbis esse collectas. Omnia haec dignissima esse videntur, quae ad historiam satyrorum Alexandrinorum illustrandam afferantur. Quis enim est quin videat poetam Alexandrinum et hic recedere ad antiquissimas origines huius ludi, si quidem inventorem artis sagittariae et plausus carmine scenico celebravit? Supra enim demonstravimus talia argumenta in deliciis fuisse apud satyrographos. Facile autem animo et cogitatione finges Satyros sagittis recens inventis usos esse non aliter quam igni aut vino. Quantum autem haec inventio ad humanitatem contulerit, poeta indicavit eo, quod victum sibi venando quaerere sagittarius a Misis sit doctus. Sed idem poeta immiscuit aliena ex aliis provinciis artis et litterarum petita. Satyros cantu obstupefactos iam Sophocles in Ichneutis introduxerat. Hic autem rudis illorum cohors ab arbitro elegantiarum sicuti claque quaedam plausum edere iubetur. Illi enim praeter ceteros omnes apud Sositheum hoc munere functi esse putandi sunt. Haec redolent illam poeseos illecebrarum praedicationem, quam aspersam urbana quadam ironia poetae Alexandrini adabant. Nescimus quomodo in hac fabula catasterismi sagittarii iniecerit mentionem, sed hoc apparet poetam et hic vetusta sua atque obsoleta exornasse splendoribus illa aetate consuetis, aliena

igitur conflasse. Praeter Eratosthenem comam regiam Berenices hic nominasse sat habeo⁶⁾.

Atque hic quidem diligentius mihi inquirendum esse videtur in alteram illam Sositheï fabulam satyrographam, cui inscribitur Daphnis seu Lityerses. Hic non minus quam in Croto illam viam commiscendorum generum consilio et ratione ingressus est ita, ut vetustissimis incunabulis generis uteretur. Fabula Lityersis ex duobus fragmentis, quorum alterum est 21 versuum, alterum trium, aliisque testimoniis satis nota. Sositheus vetustatis vestigia in eo premit, quod 1) Lityersem in scenam introducit monstrum quoddam ex genere illo ludis Satyricis consueto. Similitudine accedit inprimis ad Sylea vindemiatores. Nam messoribus utitur omnibus advenis hospitibus brevi tempore morituris. De medio removetur 2) ab Hercule, persona in hoc genere sollemni fere. Nam ut mittamus Ionis Omphalen satyricam, Euripidis Eurysthea alia, in Alcestide anno 438 quarto loco pro satyrica fabula in scenam producta persona Herculis voracis illius ebriique atque per *παλαίσματα* Thanato Alcestin extorquentis satyrorum ludum redolet. Sylea Euripidis iubet Hercules (fr. 691) secum certamen potandi inire, Admetus *φιλόξενος* ille gratum animum Herculis expertus est, hunc autem *ὁ Ἡρακλῆς ἀνείλεν ὄντα κακόξενον*. Lityerses autem non modo ipse voracitati et potationibus praeter ullum modum deditus (fr. 2), sed et fallacibus officiis prosequitur primum quidem hospites advenas:

*χῶταν τις ἔλθῃ ξεῖνος ἢ παρεξίῃ,
φαγεῖν τ' ἔδωκεν εὖ ἀπεχόρτασεν †*

6) Juvat afferre verba Rehmii (Hermes XXXIV 274). „Wenn Sositheos in einem Satyrdrama — vides hoc genus agi omnes fere putare viros doctos, argumenta non afferri, sed habet res profecto vix quicquam dubitationis — fabuliert hat, das Kind des andächtigen Schweigens, der Eupheme, welche die Musen pflegt, sei Krotcs, der laute Beifall, so berechtigt uns das allerdings an sich nicht, die Dichtung von Haus aus als Sternsage zu betrachten, dazu wird sie für mich erst durch die Rolle, die bei der Geschichte der Bogen spielt. Mit dem Hauptmotiv hat er schlechterdings nichts zu schaffen und doch wird uns ausdrücklich gesagt (Epitome] R[obert] S. 150, 27), dass schon Sositheos ihn erwähnt hat. Das sieht aus wie ein *αἶτιον*, oder wollen wir lieber sagen eine *ἐτυμολογία* zum Namen des *τοξεντήρ*. Den ungeschlachten Kentaur konnte aber Sositheos in seinem Satyrspiel nicht brauchen“. Cf. et, quae Bethe (Rhein. Mus. LV 428) de sagittarii persona, historia fabulari, imagine disputavit.

καὶ τοῦ ποτοῦ προὔτεινεν⁷⁾ ὡς ἂν ἐν θέρει
πλέον φθονεῖν γὰρ τοῖς θανουμένοις ὀκνεῖ.

„Schwerlich wird Sositheos den Wettkampf der beiden βουφάγοι im Essen und Trinken vor dem Wettkampf im Kornschneiden sich haben entgehen lassen“ Otto Jahn, Hermes III (1869) 181. Hactenus ne minimo quidem discrimine a vetusta consuetudine satyrorum recessit. Nunc videamus, quibus ἡδύσμασι ex copiis illius aetatis petitis consueta ἐδέσματα condiderit. Nam eadem ratione qua in Croto et hic usus est. Primas partes agit iterum εὔρετῆς, inventor bucolici generis, Daphnis. Cuius historiam fabularem plurima obscuritate difficilem controversiarumque⁸⁾ numero vel illam de Croto superantem hic non habeo quod tractem. Huius igitur personam Theocrito atque Alexandro Aetolo, poetae Pleiadi ascripto atque de tragoeidiis satyrisque in ordinem redigendis optime merito, adamatam satyris adiunxit Sositheus. Quod qua ratione instituerit, dignissimum quod attendatur. 3) Ex bucolico genere (cf. Theocriti id. VIII similia) petitum esse videtur illud, quod Σωσίθεος Δάφνιν fecit . . . γενόμενον, ὅφ' οὐ νικηθῆναι Μενάλκῳ ἄδοντα Πανὸς κριναντος (apud Theocritum αἰπόλος quidam hoc munere fungitur nullo certo nomine significatus), γαμηθῆναι δὲ αὐτῷ καὶ Νύμφην Θάλειαν, ultima autem verba Theocritea, quibus Daphnidis victoris inter pastores honores felicesque cum Nympha Naide nuptiae breviter indicantur, illustrat scholiasta his verbis: ἰστοροῦσι γὰρ αὐτὸν ὑπὸ τινοσ ἀγαπαθῆναι Νύμφης, ἣν Σωσίθεος Θάλειαν καλεῖ. Iam dudum viri docti viderunt⁹⁾ Sosithei fabulam tangi Servii verbis ad Verg. Buc. VIII 68 allatis: „alii hunc Daphnin Pimpleam amasse dicunt. quam cum a praedonibus raptam Daphnis per totum orbem quaesivisset, invenit in Phrygia apud Lityersem regem servientem, qui hac lege in advenas saeviebat, ut cum multas segetes haberet peregrinos advenientes secum metere faciebat victosque iuberet occidi. Sed Hercules miseratus Daphnidis venit ad regiam et audita condicione certaminis

7) προὔτειν' cod.

8) Stoll, Daphnis Roschers Myth. Lex. I, 1, 955. Knaack, Daphnis PW IV, 2, 2141. Reitzenstein, Epigramm und Skolion 197 ff. Helm, Philologus LVIII, 111, ut alios omittamus.

9) Jahn l. l., Reitzenstein, Epigramm und Skolion 258, Wendel, Überlieferung und Entstehung der Theokritscholien, Abh. Göttinger Ges. der Wiss. phil. hist. Klasse N. F. XVII, 2, 64.

falcem ad metendum accepit eaque regi caput amputavit. Ita Daphnin a periculo liberavit et ei Pimpleam, quam alii Thalamiam dicunt, reddidit; quibus dotis nomine aulam quoque regiam condonavit ferali sopito metendi carmine.“ Haec omnia mirum in modum cum fragmentis et ceteris testimoniis fabulae Sositheanae conveniunt.

Iam vides Sositheum vetustum argumentum praeter bucolica illa additamenta multis et aliis fermentis artis exauxisse. 4) Fabularum satyricarum genus plurima varietate locorum ab initiis utebatur. Vix erat, etsi dicere licet satyros ubique terrarum facile animo fingi posse exstare, quomodo non poetae paulo copiosius demonstrarent, quare Satyri in Aegyptum, in Siciliam, in Phrygiam pervenissent. Itineribus autem cum, quicumque nova atque inaudita et perpeti vult et narrare, non possit non uti, ab Homeri usque ad Petronii, Apulei, Heliodori tempora itinera a conditoribus fabellarum necessitate quadam desiderantur. Atque hic quidem inprimis praedonum usus ab eis poetis non alienus, qui personas suas narrant in remota atque peregrina loca deferri atque deici. Simile quid iam in Cyclope Euripidea fabula inest. Haec enim Silenus in prologo (11 sqq.)

*ἐπεὶ γὰρ Ἥρα σοι γένος Τυρρονηικόν,
ληστῶν ἐπῶρσεν, ὡς ὀδηθείης μακρὰν,
ἐγὼ πυνθόμενος σὺν τέκνοισι ναυστολῶ
σέθεν κατὰ ζήτησιν.*

Eis, quae sequuntur, verbis exponit quomodo in hac indagatione¹⁰⁾ ad Aetnam iniqua tempestate deiecti sint. Vides, quanto pere haec accedant ad Daphnin, qui uxorem paulo post nuptias a praedonibus raptam „per totum orbem“ quaerit. Sed idem vides, quam sint haec omnia similia argumentorum illorum de amoribus in fabulis Milesiis fictorum. Talia iam temporibus Sositheii ea certe ratione narrata esse, qua Apuleius postea exsequitur illam de puella a latronibus rapta atque a sponso liberata fabellam, quis negabit? Herculi autem iam in Alcestide obtigit, ut nuptias turbatas reconciliaret. Vides quanta arte poeta aliena in hoc genus introduxerit, vetustatis non minus quam aequalium

10) Silenum cum Satyris indagare Bacchum peregre a latronibus ablatum hoc loco excogitasse videtur poeta in usum suae de Cyclope fabulae, de Bacchi raptu in hymno hom. VII relato est quaestio difficilior. Crusius Philologi vol. XLVIII (1889) 193 ff.

studiosus. Atque hic quidem verba Reitzensteinii affero, digna, quae diligentius examinentur (l. l. 260, 1) „Auffällig viele Züge aus dieser Sositheosfabel kehren bei Longus wieder, welcher überhaupt von der uns verlorenen koischen Bukolik stark beeinflusst sein muss, da er Philetas als ältesten und weisesten aller Hirten einführt.“ Sed haec peculiari disputatione egere videntur, Sositheus ipse certe erotica seu versibus seu pedestri oratione composita argumento immiscuit.

5) Sed restant quae nondum tetigimus. De carminum enim illecebris sermonem plurimum fuisse in hac fabula, quae initium cepit a certamine artis, e quo victor praemii loco nymphae abstulit amores apparet.

Sed et hic poeta consilio et ratione has laudes carminum cum vetustissimis seminibus atque causis generis coniungere studuit. Lityerses enim non modo vi Herculis de medio esse remotus videtur, sed et arte Daphnidis. Ultima verba scholiastae Vergiliani, quibus haec spectantur, primum quidem non habere videntur quo referantur. Otto Jahn igitur putavit verba „ferali sopito metendi carmine“ retrahenda esse ad illa verba priora quae sunt „eaeque regi caput amputavit“. Hac coniectura elegantiae non minus quam aleae plena adeo Nauckii plausum tulit, ut in editione fragmentorum verba invenias sic disposita sine ulla significatione dubitationis aut memoriae librorum discrepantis. Daphnis igitur arte sua usus carmen profert, nach dessen Takt, ut Jahni verbis utar, nach dessen Takt gemäht wird und das nun auf Lityerses eine so verderbliche Wirkung ausübt. Attamen haec recte non sunt disputata. Wendel enim (l. l.) obiecit suo iure carmen metendi non posse non a Lityerse ipso cani, cuius in honorem postea a messoribus proferatur. In Theocriti carmine X videmus opponi alteri messori teneris amoribus vincto alterum parce viventem durioribusque moribus praeditum. Huic Sosithei personam subesse non est quod credamus Reitzensteinio (l. l. 241). Sed aliquantum certe valet hic messor rustico operi tantum intentus ad res Sosithei illustrandas. Hic enim, ut est horridus atque ab omnibus deliciis vitae remotus, nil habet quod carmine celebret quam indefessi laboris officia. Ille a Musis, hic a Cerere initia canendi capit.

*Σφίγγετ' ἀμαλλοδέται τὰ δράγματα, μὴ παριών τις
εἴποι „σύννοι ἄνδρες, ἀπόλετο χοῦτος ὁ μισθός.“*

Sed antequam laborum laudes opponit carmini amatorio a collega prolato, hunc in modum praefatur:

41 θᾶσαι δὴ καὶ ταῦτα τὰ τῷ θεῷ Λιτύερσᾳ.

Haec autem quae sequuntur imitatione Lityersae a Sositheo scriptae fabulae expressa esse cum essent, qui sibi persuaderent, recte iam Fritzsche in commentariis quibus hunc locum est interpretatus negavit. Scholia autem Theocritea iterum multa afferunt, quae Sositheo fabulam tangere videantur, si quidem de Midae filio spurio (cf. fr. 2), de Hercule, de Maeandro sepulcro detruncati regis (cf. fr. 3) agunt. Afferunt autem, id quod plurimis testimoniis aliorum scriptorum (cf. editionis scholiorum in Theocritum veterum Wendelianae p. 235) confirmatur: ὄθεν καὶ νῦν οἱ θερισταὶ κατὰ Φουρίαν ἄδουσιν αὐτὸν ἐγκωμιάζοντες ὡς ἄριστον θεριστήν.

6) Apparet sicuti *καταστερισμόν* in Croto ita hic *αἴτιον* agi ab aequalibus poetae adamatum. Atque hic quidem recte sensit Wendel loco supra allato nullo modo fieri posse, ut hoc carmen a messoribus in honorem messoris singularis atque incomparabilis cantatum a Daphnide ad illius perniciem esset aut inventum aut prolatum. Hoc iam refellitur scholiis Theocriteis ipsis, quae faciunt regem consueto more in hospitibus necandis canentem¹¹). In ceteris autem Wendel multo infeliciores est Jahnio, si quidem desperat de illis ultimis IV verbis restituendis atque suspicatur inesse huic corruptelae vestigia grammaticae cuiusdam doctrinae, qua nescio quod ferale carmen a carmine metendi seiungatur, sopito autem non esse quomodo intellegi possit. Haec eo minus digna sunt quae copiosius refellantur, quo simplicior et apertior res ipsa esse videtur. Neque Jahn in eo errasse videtur, quod artem Daphnidis et sub finem fabulae aliquantum valuisse putavit. Schwerlich wird, ut Jahnia illa supra allata hic in meos usus detorqueam, sich der Dichter den Wettkampf der beiden Sängers haben entgehen lassen. Cantor Lityerses, cantor Daphnis, sed distant genere ipso carminum in modum illorum apud Theocritum pastorum, distant et ingenio et moribus. Habet igitur Theocriti illud carmen, quo ad similitudinem fabulae satyricae Sositheo accedat. Superant Musae bucolicae seu eroticae Musam illam agrestem messorum. Sub finem igitur fabulae Daphnis more

11) Ἐἴτα ἐσπέρας ἀποκόπτον τὰς κεφαλὰς αὐτῶν τὸ λοιπὸν σῶμα ἐν τοῖς δράγμασι συνειλῶν (cf. Sositheo fr. 2, 19) ἦθεν.

Theocriteo fere certamen artis iniit tale quale poeta in initio fabulae commemoraverat. Illo non minus quam hoc viam ad amores sibi patefacit. Quaeritur autem quid ultimis verbis illis insit, quae Iahnii audacia alio transtulit. Quae si recte sunt servata, mihi videntur rebus ipsis narratis *αἴτιον* quoddam adiungere. Carmen ipsum metendi usque ad illa tempora ferale sopitum est morte regis, superatum arte Daphnidis, cuius carmen *φάσμαρον* tanquam adiuvit vim Herculis. Sed haec ultima in medio relinquimus.

Haec fere habui, quae de Graecorum fabulis satyricis vellem disserere, haud inutilia illa fortasse in obscura hac provincia artis paucis locis illustranda.
